

CAPUT IV.
De Interdicto.

DUBIUM I.

Quid sit, et quotuplex.

328. *Quid est interdictum.* — 329. *Quotuplex est.* — 330. *An interdicta civitate, interdiciantur suburbia. Et an ecclesiae regularium.* — 331. *Qui eximantur ab interdicto generali personali. Et an, interdicto clero, interdiciantur religiosi, vel clerici non habentes beneficium aut officium.* — 332. *Quid, si interdiciantur cives aut civitas.*

Quid sit interdictum.

328. - « Resp. I^o. Est censura ecclesiastica prohibens divinatorum officiorum, sacramentorum aliquorum, et ecclesiasticae sepulturae usum, quatenus talis est. — Quod addo, quia excommunicatio eodem privat, quatenus est communicatio cum fidelibus; suspensio vero proprie non illum usum, sed exercitium potestatis ecclesiasticae impedit. — Vide Laymann¹, Bonacina² ».

Quotuplex sit.

329. - « Resp. II^o. Interdictum dividitur:
« 1^o. In *locale*, quod immediate locum afficit; et in *personale*, quod immediate afficit personas; et in *mixtum*, quod immediate afficit locum et ejus incolas. — Differt autem locale a personali, quod in illo, participatio sacrorum officiorum tum indigenis, tum alienigenis, non absolute, sed in loco tantum interdicto; in hoc vero, certis personis aut communitati prohibeatur absolute, et in omni loco.
« 2^o. Interdictum tam locale, quam personale, subdividitur in generale et particulare. — *Generale* est, quo locus generalis (v. gr. civitas, provincia), vel quo communitas (v. gr. collegium, etc.) interdicitur. — *Particulare*, quo locus

« aut persona particularis, aut particularis res interdiciuntur ».

« Unde resolves:

330. - « 1^o. Interdicta civitate, interdiciuntur etiam suburbia; et interdicta parochia, etiam sacellum vel coemeterium contiguum, quia accessorium sequitur naturam principalis ».

Ita ex cap. *Si civitas, de sent. excom., in 6^o*, ubi etiam habetur quod, interdicta civitate per interdictum locale generale, sunt pariter interdictae ecclesiae exemptae regularium; nam alias interdictum esset elusorium^{a)}. Vide Salmant.³ Et hoc interdictum etiam clerici et regulares tenentur servare; immo idem episcopus, qui illud tulit: excepto Pontifice. Salmant.⁴ (Sed vide dicta *Lib. IV, n. 61, v. Infertur 3^o*).

331. - « 2^o. Interdicto populo, non interdiciuntur ii qui non sunt pars populi, ut studiosi, clerici, peregrini, etc. ».

Ita Salmant.⁵ cum Bonacina, Coninck, Avila, Lezana, Cornejo^{a)}, etc., communitate. — Et sic e converso, interdicto clero, non veniunt laici, ex cap. *Si sententia, de sent. excom., in 6^o*.

Hic autem notandum, quod ab interdicto personali generali eximuntur: 1^o. Episcopi (qui eximuntur etiam a suspensione

Interdicta civitate, interdiciuntur suburbia,

et ecclesiae regularium.

Quinam eximantur ab interdicto personali generali.

¹ Lib. 1, tr. 5, part. 4, cap. 1, n. 1. — ² Disp. 5, de Interdicto, part. 1, num. 1. — ³ Tr. 10, cap. 6, num. 9. — ⁴ Tr. 10, cap. 6, n. 8. — ⁵ Loc. cit., n. 15 et 16. — *Bonac.*,

disp. 5, de Interdicto, punct. 1, num. 15 et 20. — *Coninck*, disp. 17, n. 8 et 12. — *Avila*, part. 7, disp. 1, dub. 4, concl. 6 et 10. — *Lezana*, Sum., v. *Interdictum*, n. 5.

330. - ^{a)} Cap. *Si civitas*, non loquitur de ecclesiis exemptis regularium; sed rationem profecto habet cur istae comprehendantur in interdicto locali generali, scilicet: « ne vililipendi valeat sententia interdicti, ... expedit interpretationem fieri latiore ». In Trident. autem, sess. 25, de regular., cap. 12, quod

citant etiam Salmant., revera haec habentur: « Censurae et interdicta, nedum a Sede Apostolica emanata, sed etiam ab ordinariis promulgata, mandante episcopo a regularibus in eorum ecclesiis publicentur atque servantur ».

331. - ^{a)} Cornejo, quidquid investigare poterim, haec non habet.

generali). — 2°. Infantes et amentes, doli incapaces: privantur tamen ecclesiastica sepultura. — 3°. Innocentes, statim ac alibi domicilium collocant. — 4°. Exteri, etsi per multum tempus inter illos cives habitent. — Vide Salmant. ¹.

« Nec, interdicto clero, interdicuntur « religiosi; quia in favorabilibus tantum « nomine cleri comprehenduntur ».

Ita tenendum cum Salmant. ². — Nisi religiosi beneficium vel officium in illo populo haberent. Salmant. ^b).

Notandum etiam quod, interdicto clero,

non veniunt clerici, qui non gaudent privilegio fori; nec alii clerici, qui ibi non habent beneficium aut officium. Nam hi non constituunt unum corpus cum clero. — Salmant. ³.

332. — « 3°. Si dicatur: *Cives* (v. gr.) *Colonienses sunt interdicti*, ii nusquam possunt interesse divinis (nisi tamen desinant esse istic cives, nec causam dederint « interdicto). — Contra vero, si civitas « interdicto subjiciatur, licet civibus aut « incolis, qui causam interdicto non dederunt, alio ire et istic divinis interesse ».

Quid, si interdicantur cives, aut civitas.

DUBIUM II.

Qui sint Effectus Interdicti.

333. *Effectus interdicti sunt: I. Prohibitio divinatorum officiorum.* — 334. II. *Prohibitio sacramentorum, excepto Baptismo, etc.* — 335. III. *Prohibitio sepulturae.* — 336. IV. *Pecatum mortale, quod committitur a violentibus interdictum.* — Item irregularitas, quae incurritur a clericis; et excommunicatio a religiosis.

333. — « Resp. Sunt sequentes:

« I°. *Prohibitio divinatorum officiorum* ».

Nomine divinatorum officiorum, veniunt omnia quae a solis clericis fieri possunt: non autem officium B. V. Mariae, defunctorum, etc., si dicatur privatim et in loco non deputato ad illa. — Communiter Palaus, Suarez, Bonacina et Salmant. ⁴.

« Unde etiam interdicti ob alienam « culpam, non possunt interesse Sacro. — « Clerici tamen et religiosi, quando ipsi « interdicti non sunt, possunt ac debent, « ut ante, missas divinae officia celebrare; sed januis clausis, non pulsatis « campanis (nisi ad concionem, salutatio- « nem angelicam, vel obitum alicujus), « submissa voce, et exclusis interdictis ». — [Ita ex cap. *Alma mater, de sententia excom., in 6°*].

Nomine clericorum et monachorum (quia laicis nihil conceditur) veniunt omnes utriusque sexus, qui gaudent privilegio fori et canonis. Nomine *ecclesiarum*, ve-

niunt etiam eremitoria et hospitalia, auctoritate episcopi erecta; non vero oratoria privata saecularium. — Ita Salmant. ⁵ communiter.

Dicitur autem: *exclusis interdictis*; modo (intelligitur) sint denunciati: ex concilio Constantiensi. Et intelligitur tam de dantibus causam interdicto, quam interdictis personaliter. Quare, si interdicti post monitionem exire nolint, et canon Missae inceptus non sit, cessandum a celebratione; aliter celebrans incurret irregularitatem. Hoc tamen procedit, si celebretur in loco interdicto; quia ibi non censetur data facultas celebrandi, nisi, exclusis, etc. — Secus vero, si celebratio fiat in loco non interdicto; ut dicunt Holzmann ⁶; et Mazzotta ⁷ cum Suarez. Unde ait Holzmann cum alio auctore, quod tunc debet expelli interdictus. Si vero nequeat expelli, non tenetur celebrans cessare; quia id nullibi praecipitur, sicut praecipitur de excommunicatis vitandis.

¹ Tr. 10, cap. 6, num. 13 et seqq. — ² Tr. 10, cap. 6, num. 17. — ³ Loc. cit., num. 16. — Palaus, tr. 29, disp. 5, punct. 4, § 2, n. 1. — Suar., de Censur., disp. 34, sect. 3, a n. 6. — Bonac., disp. 5, de Interdicto, punct. 4, a n. 1.

⁴ Tr. 10, cap. 6, n. 50. — ⁵ Loc. cit., n. 56. — ⁶ De Poenitentia, eccles., num. 281. — ⁷ Tr. 8, disp. 4, qu. un., cap. 2, § 1, v. *Conditio 3.* — Suar., disp. 34, sect. 2, num. 9 et 10. — Holam, loc. cit.

^b) Salmant., loc. cit., n. 17, aiunt religiosum interdicto subjici qui, segregatus a com-

munitate sua, habet officium aut beneficium in loco cujus clerus est interdictus.

Exceptio- nes.

« Permittitur tamen, ut in festis Natalis Domini, Paschae, Pentecostes, Assumptionis » [B. Virginis] « et per octavam « Corporis Christi, divina officia cantentur « solemniter, admissis etiam interdictis: « dummodo qui causam interdicto dederunt altari nec appropinquent, nec veniant ad offertorium vel communionem ».

Hinc, his diebus, interdicti tenentur audire Missam. Qui vero privilegium habent audiendi, possunt etiam abstinere ab audiendo Sacro ^a), se conformando juri communi. — Salmant. ¹ cum Cornejo, Diana, Cano, Coninck, Avila, etc.

Regulares autem possunt admittere ad divina officia famulos, procuratores, advocatos, operarios, beatas, tertiarios, si hi non sint specialiter interdicti, nec causam interdicto dederint.

334. — « II°. *Prohibitio administrationis sacramentorum.*

2us effectus: Prohibitio administrationis sacramentorum.

De Baptismo et Confirmatione.

« Excepto Baptismo, Confirmatione et « Poenitentia » [Ut habetur ex cap. *Alma mater, de sent. excom., in 6°*. Et Baptismus conferri potest etiam solemniter, ut Salmant. ² cum communi; atque a ministro interdicto generaliter, non autem specialiter. Salmant. ³. Et idem dicitur de sacramento Poenitentiae ⁴] « quae omnibus permittuntur: — iis exceptis qui « interdicto causam dederunt, etiam au-

De Poenitentia.

¹ Tr. 10, cap. 6, n. 14. — Cornejo, disp. 2, § 2, qu. 1. — Diana, part. 1, tr. 11, resol. 2, et part. 4, tr. 4, resol. 80. — Coninck, disp. 17, dub. 2, n. 28. — Avila, part. 5, disp. 4, sect. 2, dub. 6. — Cap. *Alma mater*, cum cap. *Quoniam* 19, ejusd. tit. — ² Loc. cit., n. 34. — ³ Loc. cit., num. 35. — ⁴ Loc. cit., n. 38. — ⁵ Loc. cit., n. 41 et seqq. — ⁶ Loc. cit.,

« xilio, consilio vel favore ». [Et exceptis personaliter et specialiter interdictis: nisi prius praestent satisfactionem debitam, si possint; aut si non possint, cautionem saltem juratoriam. Salmant. ^a)].

« Eucharistia tamen potest dari mortuis et deferri cum lumine et campana ».

De Eucharistia.

An autem clerici, quibus conceditur Missam audire, ut supra, possint communicare? — Adest duplex sententia: vide Salmant. ⁵.

Tenent autem Salmant. ⁶, sacramenta Ordinis et Extremae Unctionis non posse recipi ab interdictis, nec tempore interdicti. — Sed quoad Extremam Unctionem, contradicit Croix ^b) cum Suarez ^b) et Dicastillo ^b). — Religiosos autem commune est, tempore interdicti posse recipere communionem et Extremam Unctionem. Salmant. ⁷ cum Laymann ^c), Palao ^c), Navarro ^c), etc.

De Ordine et Extrema Unctione.

« Nec improbable est interdictis licere « contrahere matrimonium; ut Sanchez, « Coninck et Laymann docent (contra « Suarez). — Quia hoc sacramentum se- « cundum substantiam, non ab Ecclesia, « sed ab ipsis contrahentibus ministratur ».

De Matrimonio.

Et merito hanc sententiam probabilior ^d) putant Salmant. ⁸ cum Coninck, Laymann, Palao, Avila, etc.; ex cap. *Cappellanus, de feriis*, ubi dicitur, matri-

n. 44. — ¹ Tr. 10, cap. 6, n. 48. — Sanchez, de Matr., lib. 7, disp. 8, num. 1 et 5. — Coninck, disp. 17, dub. 2, num. 48. — Laym., lib. 1, tr. 5, part. 4, cap. 2, n. 1. — Suar., disp. 33, sect. 1, n. 52. — ² Loc. cit., num. 47. — Coninck, loc. cit. — Laym., loc. cit. — Palaus, tr. 29, disp. 5, punct. 4, § 1, n. 25. — Avila, part. 5, disp. 4, sect. 1, dub. 6.

333. — ^a) Diebus festis, quae a jure non excipiuntur. Praeterea exemptio ista non valet pro clericis et religiosis, dicunt auctores citati.

334. — ^a) Salmant., loc. cit., n. 37, haec habent ubi de sacramento Poenitentiae tractant: praeterea limitatio: nisi praestent satisfactionem vel cautionem, videtur referri apud Salmant., non quidem ad interdictos specialiter, sed ad illos quorum culpa, dolo, auxilio, admissum est scelus propter quod latum est interdictum.

^b) Croix, lib. 7, n. 201, de casu longe diverso loquitur. — Praeterea Suarez, de Censuris, disp. 33, sect. 1, n. 18 et seqq.; Dicastillus, disp. 5, n. 130 et seqq., negant Extremam Unctionem posse dari tempore interdicti vel

interdictis; nisi (limitat Dicast.) speciali privilegio alicui concessum sit, vel nisi infirmus aliud sacramentum recipere nequeat.

^c) Laymann, lib. 1, tr. 5, part. 4, cap. 2, n. 1, de communione concordat: de Extrema Unctione vero negat, « si speciali privilegio muniti non sint ». — Palaus, tr. 29, disp. 5, punct. 4, § 1, n. 15 et 19, quoad utrumque concordat. Sed pro Extrema Unctione explicat de religiosis mendicantibus et de his qui eorum privilegiis communicant. — Navarrus denique utrumque negat, nisi habeant speciale privilegium.

^d) Scilicet Salmant., Palaus et Avila probabilior existimant; Coninck dicit esse communem; Laymann simpliciter eam sententiam tenet.

monium quocumque tempore posse con-
trahi e).

Nota deinde hic cum Salmant. ¹, quod
si interdictum sit latum ex sententia in-
justa, quae videbatur justa secundum pro-
bata, in foro externo debet servari; sed
non in interno: quare cessante scandalo,
possunt audiri Sacra, recipi sacramenta.
— Religiosi tamen, quando interdictum
servatur ab ecclesia cathedrali vel ma-
trice, tenentur illud servare; etiamsi illud
sit nullum ex quocumque capite, ex *cle-
ment. 1, de sent. excom.* Vide Salmant. ².

335. — « III^o. *Prohibitio sepulturae ec-
clesiasticae*, etiam respectu infantium et
« amentium.— Excipe tamen clericos, qui in
« interdicto locali, si nominatim interdicti
« non sunt, nec interdictum violarunt, pos-
« sunt cum silentio sepeliri. Laymann ³ ».

Clerici igitur, in interdicto generali
locali vel personali, possunt sepeliri in
ecclesia ^{a)}, etiam cum Missa; sine tamen
pompa. In ecclesia vero specialiter inter-
dicta possunt sepeliri sine Missa. Salmant. ⁴
cum Covarruvias ^{b)}, Palao, etc. Laici tamen
sepeliendi sunt in loco non sacro, etiam
infantes; et si forte ibi sepulti sint, ex-
humari debent. Cessante autem interdicto,
omnes in loco sacro reponendi. Salmant. ⁵
cum communi.

¹ Tr. 10, cap. 6, n. 30. — ² Loc. cit., n. 30 et 31. — ³ Loc. cit., cap. 2, n. 3. — ⁴ Loc. cit., n. 75. — *Palao*, tr. 29, disp. 5, punct. 4, § 3, n. 8 et seqq. — ⁵ Loc. cit., n. 69. — ⁶ Loc. cit., n. 80. — *Bonac.*, disp. 5, de Interd., punct. 7, n. 3 et 4. — *Palao*, loc. cit., punct. 5, n. 2 et 3. — ⁷ Loc. cit.,

^{a)} Cap. *Capellanus* hoc profecto dicit, sed loquens de temporibus feriatis.

335. — ^{a)} Vel quolibet loco sacro.

^{b)} Covarruvias, *in cap. Alma mater, part. 2, § 2, n. 7*, v. *Clericis*, haec scribit: « Clericis etiam decedentibus qui interdictum servaverint, concessum est ut absque campanarum pulsatione, cessantibus solemnitatibus, cum silentio in coemeterio ecclesiae sepeliantur: id vero ita intelligendum est, ut procedat in generali interdicto, vel in speciali quoad clericos illius ecclesiae ».

336. — « IV^o. *Clerici violantes interd-
ctum, peccant mortaliter* ».

Ita etiam Salmant. ⁶. Sed excusat parva
materia, nempe si clerici exercent fun-
ctiones, quae a laicis fieri possunt. Bona-
cina, Palao, etc. cum Salmant. ⁷. Item,
si brevi permittant ostium apertum. —
At clerici exercentes Ordinem sacrum, si
sint specialiter interdicti, vel in loco spe-
cialiter interdicto, vel in loco generaliter
interdicto, januis apertis, etc. (ut supra),
peccant graviter et incurrunt irregulari-
tatem. Vide Salmant. ⁸. Admittentes autem
laicos interdictos ad officia divina, inter-
dicuntur ipso facto ab ingressu ecclesiae,
id est non ad orandum private in ipsa,
sed ad exercendos ibi ordines sacros; ut
dicunt Palao, Coninck ^{a)}, Laymann ^{a)}, etc.
cum Salmant. ⁹.

« Sicut etiam religiosi utriusque sexus:
« — qui insuper excommunicantur de
« facto.

« Laici vero peccant quidem graviter,
« si contra interdictum personale recipiant
« sacramenta. Si vero tantum violent lo-
« cale, v. gr. audiendo divina officia, pro-
« babilius est, tantum esse veniale: dum-
« modo ipsi personaliter interdicti non
« sint. — Laymann ¹⁰, ex Silvestro ^{b)}, Soto,
« Avila, etc. ».

n. 81. — ⁸ Tr. 10, cap. 6, n. 87. — *Palao*, tr. 29, disp. 5, punct. 4, § 4, num. 2 et 5. — ⁹ Loc. cit., num. 87, 89 et 91. — ¹⁰ Lib. 1, tr. 5, part. 4, cap. 3. — *Soto*, in 4, dist. 22, qu. 3, art. 3, concl. 6. — *Avila*, part. 5, disp. 5, dub. 2, v. *Quamvis haec*.

336. — ^{a)} Coninck, *disp. 17, n. 59*; Laymann, *loc. cit., part. 4, cap. 1, n. 4*, explicat solum quid intelligatur per interdictum ab ingressu ecclesiae. Et tota citatio videtur restringi apud S. Alphonsum ad hoc punctum, licet, *locis cit.*, ceteri auctores quoad omnia concordent.

^{b)} Silvester, v. *Interdictum VI, n. 7*, ait laicos violantes interdictum peccare graviter, « quando id faciunt ex contemptu, non aliter, nisi in quatuor casibus positus in clem. 1 de sepult. et in clem. Gravis, de sent. excom. ».

4^{us} effectus:
Peccatum
mortale pa-
tratum a
violantibus
interdi-
ctum.

Quid, si
interdictum
est inju-
stum.

3^{us} effectus:
Prohibitio
sepulturae
ecclesiasti-
cae.

Qui pos-
sint interdi-
ctum ferre.

Ad illum
incurrerem
quod quae-
nam requi-
ratur culpa.

Qui pos-
sint interdi-
ctum tolle-
re.

DUBIUM III.

Quis censuram Interdicti ferre, et quis tollere possit.

337. *Qui possint interdictum ferre. Et an, ad illud incurrendum, requiratur culpa gravis.* — 338. *Qui possint tollere interdicta generalia a jure non reservata.* — 339. *Qui personalia particularia.* — 340. *De cessatione a divinis.*

337. — « Resp. I^o. Interdicere possunt
« iidem, qui excommunicare et suspen-
« dere ».

Hodie episcopi sine consensu capituli
(nam olim aliter erat) possunt interdicere
quoscumque generaliter, aut specialiter,
ex consuetudine introducta. Salmant. ¹
cum Panormitano ^{a)}, Suarez, Palao, Sayro,
etc. — Praelati autem regulares possunt
interdicere suos subditos; non autem suas
ecclesias ^{b)}. Salmant. ² cum eisdem.

« Et quidem, ut determinata persona
« interdicatur, videtur requiri culpa mor-
« talis ».

Ejusdem personae; ut Salmant. ³ Inter-
dictum enim personale particulare ne-
quit imponi pro culpa aliena. — Interdi-
ctum autem ad breve tempus, in ordine
ad unum tantum, vel alterum effectum,
potest incurrere etiam ob peccatum veniale.
Salmant. ⁴ cum Palao, Coninck, etc.

« Ut autem feratur interdictum locale,
« vel generale in communitatem, requi-
« ritur peccatum valde grave, cum con-
« tumacia commissum a capite, vel prae-
« cipuis membris; licet reliqui culpa va-
« cent ».

338. — « Resp. II^o. Interdicta localia, et
« personalia generalia, quae jure com-
« muni sunt imposita nec reservata, pos-
« sunt tolli ab episcopo, vel alio habente
« jurisdictionem in communitatem inter-
« dictam. — Non tamen a religiosis pri-
« vilegiatis; quia locus et communitas
« foro poenitentiae non subjiciuntur ».

¹ Tr. 10, cap. 6, n. 19. — *Suar.*, disp. 36, sect. 1, n. 6. — *Palao*, tr. 29, disp. 5, punct. 3, § 1, num. 2. — *Sayr.*, lib. 5, cap. 10, num. 20, v. *Quinta*. — ² Loc. cit., num. 20. — ³ Loc. cit., n. 21. — ⁴ Loc. cit., n. 22. — *Palao*, loc. cit., § 2, n. 9. — *Coninck*, disp. 17, dub. 1, n. 24. — ⁵ Tr. 10, cap. 6, n. 100. — *Suar.*, disp. 39, sect. 2, n. 16 et sect. 4,

337. — ^{a)} Panormitanus utique hic citatur a Salmant.; sed loco citato, id est, *in cap. 1, de excessib. praelat., n. 2*, tractat de excommunicatione et suspensione: licet in fine his verbis concludat: « Sed hodie episcopi prae-

Interdicta generalia lata ab homine
non possunt tolli, nisi ab eo qui tulit, vel
a Papa. — Vide Salmant. ⁵.

339. — « Resp. III^o. Ab interdicto juris
« personali particulari, si reservatum non
« est, quivis approbatus potest absolvere.
« — Denique, per privilegium absolventi
« ab omnibus censuris, non intelligitur po-
« testas tollendi interdictum locale, aut
« personale communitatis ».

DE CESSATIONE A DIVINIS.

340. — Cessatio a divinis est: *Prohi-
bitio clericis facta, ut abstineant ab offi-
ciis divinis, et ecclesiastica sepultura.* Pu-
tant autem Suarez et Filiucci (contra
alios) apud Salmant. ⁶, posse episcopum
unum effectum prohibere, et non alterum.
— Haec cessatio distinguitur ab interdi-
cto, et non est censura; imponiturque in
signum moeroris, vel ad reparationem
gravissimae injuriae Deo irrogatae; affi-
citque omnes qui sunt in loco illo, ubi
imponitur. Vide Salmant. ⁷.

Dubitatur autem: *an, hac cessatione
indicta, clerici gaudeant privilegio eis
concesso tempore interdicti?* — Negant
communius Salmant. ⁸ cum Palao, Bona-
cina, Filiuccio, Sanchez, etc. (contra ali-
quos); quia cessatio est novum gravamen,
ultra interdictum. — Potest tamen ces-
satio suspendi per aliquot dies solemnes.
Vide Salmant. ⁹.

Sacramenta vero concessa tempore in-
terdicti, ut supra, conceduntur etiam tem-

num. 4. — *Fill.*, tr. 18, cap. 7, num. 172 et 187. — ⁶ Loc. cit. num. 103. — ⁷ Loc. cit., num. 102. — ⁸ Loc. cit., num. 104. — *Palao*, tr. 29, disp. 5, punct. 9, § 2, num. 6. — *Bonac.*, disp. 6, punct. 1, v. *Tertio* et v. *Hinc licet*. — *Fill.*, loc. cit., num. 168 et 170. — *Sanch.*, de Matr., lib. 7, disp. 8, n. 14. — ⁹ Loc. cit., n. 105.

scripserunt jurisdictionalia contra capitula,
et valet talis consuetudo et praescriptio ».

^{b)} Nisi tamen habeant jurisdictionem in
plebem, uti dicunt Salmant. cum iisdem aucto-
ribus, Panormitano excepto.

Quid sit ces-
satio a divi-
nis.

Clerici non
gaudent
privilegio
concesso
tempore in-
terdicti.

pore cessationis. — Palaus, Bonacina ^{a)}, Suarez ^{a)}, etc. cum Salmant. ¹.

Cessatio imponitur ab iisdem, qui posunt ferre censuras, praecedentibus monitionibus. — Vide alia apud Salmant. ².

Quid, de usu stratorum in ecclesiis.

Demum hic obiter notandum id, quod habetur in decreto S. C. Caeremoniarum, scilicet: *Non licere cuicumque, etc. (ipsis personis regalibus tantum exceptis) ad ecclesias strata sibi deferri facere; et si secus actum fuerit, immediate cessandum fore a divinis. Quod nisi servetur, rectores caeterosque ecclesiarum ministros ipso facto excommunicationis poenam ... incurrere, eamque ecclesiam ... habendam*

Palaus, tr. 29, disp. 5, punct. 9, § 2, n. 11. - ¹ Tr. 10, cap. 6, n. 107. - ² Loc. cit., n. 109. - ³ Part. 3, decret. Congr. Cardin., decret. 1 S. C. Caeremon., de die 30 Maji

esse pro interdicta. Hoc decretum per scriptum est in Bullario Clementis XI³. Ac deinde notatur ibi: *Et facta ... relatione ... Sanctitas Sua* (id est, praefatus Clemens) *decretum praefatum approbavit, necnon promulgari atque executioni tradi, et in omnibus Urbis sacrariis affigi mandavit. Die 3 Octobr. 1701.* Ita apud Ferraris ⁴.

Qui praeterea refert, ex pluribus decretis S. C. Rituum, esse vetitum praebere evangelium inter missarum solemnias laicis ad osculandum; sicut etiam praestare ipsis usum throni, eosque admittere ad assistendum in presbyteriis.

et 3 Octob. 1701. - ⁴ V. *Ecclesia*, art. 5, num. 28 et 29. — S. R. C., vide Decreta auth., n. 273, 1792, 1831, aliaque passim.

340. - ^{a)} Bonacina, *disp. 6, punct. 3, n. 5*, quoad communionem dicit: per modum via-

tici; et, *n. 7*, excludit matrimonium. Item Suarez, *disp. 32, sect. 2, n. 18 et seqq.*